



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali
Benedictina Universitate Salisburgensi**

König, Robert

Salisburgi, 1725

VD18 80460526

13. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61800)

ro legalis, quæ datur inter carnales filios adoptantis & adoptatum, inter eos matrimonium in perpetuum non dirimit, sed tam diu tantum, quamdiu durat adoptio, & filii sive carnales sive adoptivi sunt sub potestate adoptantis. *per c. un. h. t. l. 17. ff. de Rit. nupt. Rmus Maurus Oberascher de Matr. c. 4. §. 5.*

§. VII.

12. *Contraria cognationi legali, ejusque impedimento est dispensatio, quæ tollitur; quamvis verò prorsus dubitandum non sit, S. Pontificem posse in hoc impedimento dispensare, in linea tamen recta, sicut & in affinitate legali difficillimè, & non nisi gravi ex causa dispensat. Quod lineam transversalem, seu fraternitatem legalem attinet, in ea raro petitur dispensatio, quandoquidem in promptu est emancipatio, quæ cognationis legalis impedimentum amoveatur ita, ut adoptatus citra ullam dispensationem cum filia carnali adoptantis matrimonium inire possit. Sanchez lib. 7. disp. 63. n. 24.*

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

13. *Perpectâ cognatione spirituali, & legali videndum porro de cognatione naturali, quæ in vulgari sermone consanguinitatem, & affinitatem complectitur juxta c. quod autem. §. causâ 35. q. 5. ubi ita Alexander: quod autem frater, sororve uxoris tuae cognati tui dicuntur, equivocationis jure fit. Etsi quidem S. Pontifex hic attingit affinitatem contractam ex copula habita cum consanguinea uxoris, vel sponsæ, nos verò, quia hæc cum consanguinitate, & affinitate legitima omnino connexa est, de iis simul tractabimus in ulto sequenti.*

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

DUæ ergo sunt partes hujus tituli: prima exhibet impedimentum consanguinitatis; altera impedimentum affinitatis.

Pars I.

De Consanguinitate.

SUMMARI A.

1. Consanguinitas quid nominis? 2. Quid rei? 3. 4. 5. Quotuplex? 6. 7. 8. Origo consanguinitatis, & quo jure dirimat matrimonium? 9. 10. 11. Quos inhabiles ad matrimonium contrahendum? 12. 13. 14. Traduntur regule computandi gradus consanguinitatis. 15. 16. Adducuntur ejus effectus. 17. 18. An, & quando in impedimento consanguinitatis locus sit dispensationi?

§. I.

Consanguinitas dicitur quasi una & communis sanguinitas, seu sanguinis unitas, vernaculâ ein Blutsverwandtnus/Blut-Freundschaft. Unde consanguinei, qui quasi ex uno & communi sanguine propagati sunt, sive qui unum, & communem sanguinem habuerunt, sicut cognati ab eo dici putantur, quasi qui unâ, communiterve orti, progenitique sunt, teste Modestino in l. non facile. 4. §. 1. ff. de Gradib. & affinit.

§. II.

Definitur Consanguinitas, quod sit propinquitas, seu vinculum personarum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. D. Thom. in 4. dist. 40. q. un. a. 1.

Verba hujus definitionis: *ab eodem stipite*, intelligenda sunt de stipite propinquo: nam descendentes ab eodem stipite, seu parente, planè remoto, non sunt consanguinei: alioquin omnes homines, utpote ab eodem stipite Adamo,